

Mentis² attrib. | [r]ivo aquae Augustae³ | [q]uae pervenit in | nemus Caesarum⁴, | [ut?] ex eo rivalibus⁵ qui | [per b]uccinam accipieb. | . . .

Ad viam Clodiam 15 mil. pass. ab urbe, prope la Galero, tegebat tabula, cum reperta est, canalem derivatum ex lacu Braccianensi (VI 54566. XI 3772^a = Notizie degli scavi 1887 p. 182 Barnabeus vidit ectypum). Explicare temptavit Barnabeus l. c. — 1) Supplevit Barnabeus; cf. N. 5760. — 2) Fortasse forma sic appellata. Barnabeus mentis significari putat aquam ex ductu decidentem, conferens Vitruv. 4, 3, 6. — 3) Est aqua Augusta sive Alsetina, de qua Frontinus de aq. c. 14, ab Augusto destinata potissimum naumachiae, ab ipso trans Tiberis extructae, in quo loco iam nemus Caesarum esse ipse Augustus ait Mon. Ancyr. 4, 43. — 4) Cf. not. 3. — 5) Cf. Gell. 14, 4, 4; Dig. 43, 20, 1, 26.

5797 imp. Caesar divi f. August. pontif. | maxim. flumen Sebaston¹ á Schediá² induxit, | quod per se toto oppido flueret, praefect. Aegypti | C. Iulio Aquila³, anno XXXX Caesaris⁴. | ἀτοκράτωρ Καῖσαρ Θεοῦ υἱὸς Σεβαστ. ἀρχιερεὺς | ποταμὸν Σεβαστὸν ἀπὸ Σχεδίας ἤγαγεν | δι' ὅλης τῆς πόλεως ῥέοντα, ἐπὶ ἐπάρχου | τῆς Αἰγύπτου Γαίου Ἰουλίου Ἀνύλαι. | L M⁵ Καίσαρος.

Alexandriae Aegypti rep., delata Vindobonam (III S. 12046 = Eph. ep. 7 p. 448 Mommsen vidit ectypum). — 1) Memorat hunc canalem Strabo (cf. not. 2). — 2) Oppidum Nilo appositum, ita dictum a ponte quo fluvius ibi iunctus erat, cf. Strabo 17 p. 800. — 3) Cf. Ioseph. ant. 19, 5, 2. — 4) Anno p. Chr. 10/11. — 5) Ἐτους τεσσαρακοστοῦ.

5797^a [imp. Caes. divi] | Ne[r]vae fil. Nerva | Tra[ianus Aug. Germ.] | Dac[icus trib. pot.] . . | im[p. . . ., cos. . . . p. p.] | fossam¹ [fecit | q]ua inun[dationes Tiberis | a]dsidue u[rbem vexantes | rivo] peren[ni instituto arcerentur]².

Romae in coenobio S. Pauli, origine, ut videtur, Ostiensis (XIV 88 vidi). — 1) Fossam hanc memorat Plin. ep. 8, 47: Tiberis alveum excessit, quamquam fossa, quam providentissimus imperator fecit, exhaustus. — 2) Supplevit Mommsen.

Similis est titulus Claudii supra N. 207. — In titulo qui prodiit in rudibus Bisicae in Africa est: fluvium quoque cuius incursu civitas vexabatur avertit (Bull. arch. comité trav. hist. 1894 p. 249).

5798 Macrinus, Diadumeni Aug. l. proc. Antoniani¹ disp., hic | ambulavit a villa Polli Felicis², quae est Epilimones³, | usque ad emissarium Paconianum, Nerva et Vestino cos.⁴

Prope Neapolim in cuniculi antiqui montis Pausilypi pariete, scariphatum in tectorio (Eph. ep. 8, 337 cf. Mommsen Herm. 18, 1883 p. 459 legerunt de Petra, Sogliano aliisque). Alias duas inscriptiones similes, sed breviores ab eodem Macrino eodem loco incisas omisi (Eph. 8, 335. 336). Praeterea in parietibus eiusdem cuniculi incisi sunt, spatiis centenum pedum (29, 57 metr.) interiectis, numeri C, CC, CCC, CCCC, D cet. (Eph. 8, 339; Momms. l. c.). Similiter parietibus emissarii Claudiani lacus Fucini insertae fuerunt tabellae inscriptae ped. DCC, ped. DCCC cet. (IX 3888 seq.). Emissarii alicuius mentio est praeterea in fragmentis Tusculanis XIV 2623. — 1) Idem supra N. 1474. Antonianus fortasse dictus ab Antonia Drusi. — 2) Cf. Stat. silv. 2, 2, 3, 1. — 3) Cf. Momms. Herm. l. c. p. 160. — 4) A. 65.